



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Jesu Christi Annus M.D.I. Sanctißimi Patris Benedicti MXX.I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

nostræ Legibus se subdidit, adeo Vir-  
gineæ Castitatis custos sedula vigilans-  
que, ut obvelatum plurimis annis vul-  
tum ejus nemo unquam conspiceret,  
præter Reginam ejusque filiam, quæ  
semel insignem hanc gratiam ab hu-  
millima & verecundissima Virgine  
extorserunt. Meruit præclarissimè  
de amantissimâ suâ, totiusque Ordini-  
nis Matre & Tutelari Virginum Vir-  
gine, cujus honorem per Hispanias,  
summa cum Regnorum illorum gra-  
tulatione, sub Titulo Præfato instituta  
Congregationis *Immaculatae Con-*  
*ceptionis* mirificè promovit, DEI  
param & Virginis Filium, quin &  
cultores in terris Coelitem Augustæ  
omnes coelumque ipsum immortaliter  
demeruit. Habuit admirandas,  
super Ordinis sui erectione &  
propagatione visiones Beatrix, & va-  
rijs à DEO miraculis illustrata est,  
tandemque præmonente Deipara de  
mortis suæ horâ edocta, plena gran-  
dium meritorum mortalitatem hanc  
exiit, induit immortalitatem, ad  
amplexus æterni Regis assumpta. In  
cujus defunctæ dignissima fronte Stella  
aurea insoliti fulgoris insedit. In-  
ter miracula rarius illud: cum navis  
quæ Româ Diploma Confirmationis  
sui Ordinis afferre debuerat, mari de-  
mersa esset; illud nihilominus DEI  
ancilla post orationem intra scrini-  
um suum alijs admixtum chartis pro-  
digiosè repererit. *Vid. Joan. Marieta,*  
*Vasconcellius in Anacephaleosi Reg.*  
*Lusit. & Amalloe Garriuan. Comp. Hist. & C.*  
Floret mirificè in Italia sacra no-  
stra Reformatio Beatæ Matris Vir-  
ginis de Monte Oliveto, è quorum  
illustrioribus celebratur hoc anno P.  
F. Jacobus de Trajecto, ex Jurispe-  
rito eruditissimo humilis Monachus,  
qui hoc ipso anno edidit Librum de  
Modo visitandi & corrigendi subdi-  
tos. Idem scripsit Commentarium  
super Regulam S. P. N. Benedicti,  
pluraque alia reliquit & ingenij &  
pietatis monumenta. *Ex rev. Olivet.*  
*script.*  
Floret in eademmet Olivetana fa-  
milia Venerabilis Pater Hieronymus  
à Mantua, Js cum Puerulus etiam-  
num mitteretur ad scholas sanctissi-  
mum Patrem nostrum Benedictum  
imitatus, pietatis Studium prælegit,

& ubicunque poterat à ludicris se  
subducens templa frequentavit. Cum-  
que aliquando summo mane basi-  
licam Dominicanarum Virginum in-  
gressus, illic raptam in extasim Bea-  
tam Annam Andreasiam intueretur,  
adeo concepto repente Divini Amo-  
ris igne succensus est, ut illico de sæ-  
culo deserendo se resolveret, nilque  
deinceps, quam de elevanda in DEUM  
mente cogitaret, idque quo felicius  
succederet, nihil non tentaret, ut in  
sanctæ illius Virginis noticiam & fa-  
miliaritatem deveniret. Nec displi-  
cuit Superioribus, sanctum utriusque  
studium, ita ut familiari litterarum  
commercio, mutuo mirificè anima-  
rent atque excitarent. Fructus sæ-  
pius etiam est ejusdem præsentia &  
alloquio, arcanorum ejusdem coele-  
stium unicè conficius, donec ea Senas  
mitteretur. Cùmque illius ipse absen-  
tiam inconsolabiliter desereret, ab An-  
gelo consolari meruit, & brevi redi-  
turam intellexit. Fuit & ipse Ulberibus  
Divinæ consolationis assuetus,  
& lucrari DEO homines doctissi-  
mus, Novitiorum Magister lectissi-  
mus, Principum Mantuanorum sin-  
gulare solatium, venerabilis univer-  
sis. Scripsit vitam Beatæ Andreasie,  
multo verò perfectius in seipso ex-  
pressit. Vita excessit annis & me-  
ritis gravis, sepultus ante aram ma-  
ximam suæ Ecclesiæ; cujus sacrum  
corpus nostra ætate, incertum, qua  
occasione, reserato sepulchro reper-  
tum est incorruptum. *Ex commu-*  
*nicatione Patrum ejusdem sacre familia.*  
**JESU CHRISTI ANNUS M. D. I.**  
*Sanctissimi Patris Benedicti MXX. I.*  
Uti initium anni, Calendas olim  
Januarias, Verbum illud Infans, De-  
us homo sui sacri SANGUINIS purpu-  
râ expians consecravit, sic initium  
sæculi hujus, uti sæcula priora om-  
nia, uti annos à condito primùm Or-  
dine ferè omnes, Ascetæ nostri Be-  
nedictini, gloriosissimâ pro Christo  
effusi Sanguinis purpura, & longè  
Augustissimis pretiosissimi Martyrij  
coronis & victricibus palmis coro-  
nant atque exornant, iidem de qui-  
bus supra Novi Orbis primi Patriar-  
chæ discipuli & Collegæ, hoc ipso  
anno uti Proto-Apostoli, sic & Proto-  
Martyres Novi Orbis effecti. Et me-  
rito:

*Falla Re-  
gine Gra-  
tia.*

*Meritum  
Beatrix  
incompa-  
rabile.*

*A Deipara  
de morte  
elocetur.*

*Miracu-  
lum insig-  
ne.*

*P. F. Jaco-  
bus de Tra-  
jecto.*

*Hierony-  
mus à Man-  
tua.*

*Mira Va-  
catis.*

*Familiaris  
S. Andrea-  
sie.*

*Magister  
felix Novi-  
tiorum.*

*Incorrup-  
tio post  
mortem.*

*Initium  
sæculi Mar-  
tyrum no-  
strorum  
consecratur  
Sanguine.*

C

rito: ut quorum Professionis Socij, nullam non Europæ, Asiæ, Africae, orientis atque occidentis provinciam adierint, Christo verbo & exemplo vitæ lucrati sint, incolas sacri Baptysmatis undis lustraverint, proprio sanguine provincias illas omnes infuderint & impinguaverint, merita ubivis meritis cumulaverint, America quoque seiplos impenderent, & primitiæ Victimarum, in Holocaustum Deo longè acceptissimum gloriosissime, ut generosissime, caderent. Sic, ut qualiter prius sæculum, & ultimum sæculi annum Sanguine velut cerusâ nobilissimâ insignivimus & clausimus, taliter istud inchoemus; & quidem aliorum ejusdem Patriarchæ Bueilli Sociorum, qui clade suorum & supplicij minime territi, imo animati, fortiores insurrexerunt, habentes inter dignissima optatissimum mori pro Christo, ejusque pretiosissimo Sanguini, suum sociare. Cæterum, ut nullum non sæculum fuit, quod non novis fervoribus Divini Spiritus efferverit, scintillas primum, mox flammam, juxta cœlestem splendorem, cœlestisque fragrantiam odoris longè latèque effuderit, Ecclesiam recrearit, orbem antonitum reddiderit, ita præsens istud, non uno, sed plurimis, ut suo dicitur loco, & quidem diversissimis in Regnis, totoque cœlo disitis provincijs, talia digna cœli contuitu spectacula edidit, ignesque festivos dedit. Hoc verò ipso anno in Regnis Hispaniarum sanctissima illa Montserratensis magnæ Matris, Virginis Benedictæ, Benedictique Patris. Solidæque Ordinis per Hispanias Reformatio, tanquam vehementissimum, cœlo tamen plausibilissimum, terris utilissimum incendium invaluit, & nobilissimas illas provincias mirè illustravit. Nec Religiosos solum ipsos, sed sæculares etiam homines, magnates æque ac phebeios mirifice accendit, magnâ illâ & Admirabili Matre Virgine Benedictini Ordinis, præ Benedicto suo Institutrice, id vel maximè efficiente, cum tanquam Augustissima sui MONTIS SERRATI Tutelarum, Domina & Materfamilias, insolentissimis Gratijs & miraculis, loco primum illi, gratiam, nomen, famam,

& reverentiam, apud Regni primum incolas, mox exteros longèque remotissimos conciliaret, eoque ipso Religiosorum illic degentium animos in sacrum stuporem, mox sui mirificum amorem raperet; ita ut Exercitatorio Cisnerij deinceps, tanquam à radijs solis inexplicabilis, vi fructificandi, imo saluberrime accendendi additâ, Montserratenses Religiosi, paulo post in admiratione omnium summaque veneratione essent, & ab his paulo post ardor in præcipua Hispaniarum Monasteria diffusus, Reges ipsos oculis animisque in tantos Marianæ Gratiæ effectus raperet, admirabili paulo post fructu Hispanias universas lætificante, & revera beatificante. Et revera Benedictæ huic Matri, & Benedicto Patri nostro, plurimum Hispania tunc debuit, toto jam orbe in diversas Hæreses præcipiti, ut unicum ferè illud Regnum sibi constaret, cum in salutare illud felicissimi Vesuvij Montserratensis incendium & incendiorum miraculum, intenti defixissimis oculis Hispani, Debellatrici Hæresium omnium Virgini, & hujus Honoris assertoribus, cultus promotoribus Ascetis Montserratensibus fideliter adhererent, ad Montem salutaris certatim confluerent, nec tam miracula quotidie & beneficia in exteros collata, quam in domesticis magnæ Matris Ascetis, exempla sacrorum ejus loci indigetum suspicerent ac venerarentur, colonias inde deducerent, & refrigerante per universum charitate, deficiente oleo atque lumine, ipsi abundarent, arderent, lucenter, & tot monstis Hæresium, ex inferis subito emergentium insuperabiles non solum, sed intolerabiles redderentur. Porro excitus ad splendorem tantum præ alijs beatæ memoriæ Garfias de Cisneros sacratissimi Montis Antistes, ut aliàs erat Matri Virgini addictissimus, velut alter Moyses, ex consortio sermonis DEI, & rubi ardentis inextincti accensissimus, supra quam aliàs, & contemplationis studio & ferventiore DEIPARÆ obsequio tantopere incaluit, ut sanctitatis radijs atque fulgoribus longè latèque innosceret, cœli nil magis quam latere studeret.

Vir

*Victima  
Numeris  
generosissima.*

*Omne sæculum nostrum fulgoribus resplenduit.*

*Reformatio Montserratensis.*

*Mater Admirabilis nostri Instituti Ordinis.*

*Ita & Congregationis Montserratensis.*

*Mons. Servatus, & miracula, & viri sanctissimi.*

*Garfias Abbas alter Moyses.*

Vir per omnia magnus, non solum maximis sui sæculi sed præteritorum omnium comparandus syderibus, per quem in amplissimis illis Hispaniarum Regnis, agente per ipsum benedicta Misericordiæ Matre Benedictinus Ordo, non tam novo vigore, quam primævo virore refloruerit, sed, & innumeros quasi, deinceps, viros, faminasque egregia vitæ perfectione & sanctitate conspicuos, imo plurimos, ut videbimus miraculorum etiam gloria illustres Orbi & Ecclesiæ dederit.

*Reformator mirabilissimus.*  
*Deipara beneficia.*  
Certare cum pijs Montserratensium conatibus, visa Deipara, majoribus quotidie beneficijs non ipsos solum, sed Hispanias universas obstrinxit, cum incredibili quotidie hominum occursum ille sanctissimus frequentaretur, expiatisque nostrorum opera & instructione peccatoribus, etiam scelestissimis ad penitentiam flexis, alij ceu novi homines regrederentur ad suos, alij & penè innumeri, ægri afflictique, integri & lætabundi inde revertentur.

*Bona gratiarum in Monte Serratato collatarum.*  
*Miraculorum quorundam.*  
Quæ paulo post Ipsarsa in universum fama, non Europam solum, sed Asiam atque Africam excitavit, ipsos etiam alienigenas & à fide Christi alienissimos, eo impulit, & coram, stupore implevit, ut nemo Montis illius fortunam & gloriam, Virtutes & gratias Matris Virginis, nemo Monachorum merita ignorare videtur. Fuitque, uti hodie est, æternum illud ac quotidianum miraculum, in tanto tot millium quotidie peregrinorum concursu, in tanta Monachorum ejusdem loci Hospitalitatis exhibitione, qua pro cujusque statu & dignitate satisfit omnibus, hospita tecta rogaribus & acceptantibus, nec Ascetis loci, unquam quod largirentur defuisse, nec hospites nisi contentos & super his quæ viderant & experti erant admirabundos, & attonitos discessisse.

*Galliarum Regum sanctorum sanctissimum.*  
In Galliarum Regno sanctorum sanctarumque Benedictini Ordinis etiam novissimis sæculis ad hanc usque diem longè feracissimo, clarent diversissima ejusdem sydera, & contemptu maximè Mundi illecebrarum Amazones, etiam Regij generis hoc ipso etiam anno plurimæ, è quibus,

ut alias plurimas taceamus, simul semelque emicuerunt, quatuor germanæ ejusdem propositi sorores, Eleonora Borbonia Caroli Ducis Vindocinensis, & Franciscæ Ducissæ de Alençon filia Fontis Everardi sive Ebrardi Abbatis lætissima & Margarita S. Crucis Pictaviensis, Catharina B. Mariæ Suveffionensis & Renata Calensis Monasteriorum serenissima Anstista, ut ex his solis splendorem & vigorem Ordinis in Gallijs meritis, uti deinceps admiranda dabimus.

*Illustrissimorum Principum exempla.*

In Germania, Bursfeldensis Benedictina: familiæ Congregatio celeberrima animadvertens pastorum ositantia, sacrorum omnium curam poni in ultimis, & rudem passim plebeculam cleri odio contemptuque, & ab inscitia ortis, & exemplis pessimis solertissimo studio suis caver, & tota passim Germania longè lateque dispersa Canobia saluberrimis constitutionibus cum ad literarum, tum ad virtutum studia concitat, ita ut perditissimo etiam tempore, studia plurimis locis florere inciperent, & quo plures in præceps laberentur, eo etiam plures è suis in altiora confurgerent, & ex lapsu aliorum cautiores redditi, quantis poterant artibus & viribus, non religiosos tantum suos, sed Monasteriorum subditos, ad semitas Justitiæ revocarent. Clarent multi ex Abbatibus sanctitatis opinione, speculum, & exemplar non Monachorum solummodo facti, sed etiam sæcularium è quibus Simon de Petra Joannis de Diedesheim viri sancti in Abbatia Lacensi sanctus successor, postulatus ex Monasterio Hornbach Metensis Dioceseos & eruditione & vitæ exemplo plurimos retinuit, & periclitantem nonnullis locis Disciplinam Monasticam strenuè reformavit, singulare Religiosissimi Præsulis exemplar.

*Bursfeldensis Congregatio.*

*Abbatibus plures in opinione sanctitatis.*

In Italia hoc ipso anno & tempore Camaldulensis Celeberrimæ sub Regula Sanctissimi Patris nostri Benedicti Congregationis ingens gloria, & renatus à sæculo in sæculum vernans vigor ac viror, cui in hunc usque diem virorum sanctissimorum nunquam defuit copia. E quibus hoc anno Beatus Eusebius, vir excelso animo, sed juxta humillimo ad supera illa

*Camaldulensium famæ & sanctitatis.*

illa gaudia evocatus, felicem Caelitum auxit numerum, cœlosque implevit gratulatione.

*Beatus Eusebius Hispanus.*

Hic natione Hispanus, virtute non minus, quam genere Nobilis, magnis animi corporisque talentis præditus, & ob hæc Regibus catholicis charus, cum Anno Christi 1497 Regum eorundem Oratorem apud serenissimam Rempubl. Venetam ageret, & sapius ad lectissimum, hodieque [ ut coram mirati sumus ] florentissimum sanctitate Cœnobium S. Michaelis Camaldulensium nostrorum inviseret, sacrosancto aliquando Misæ ibidem Sacrificio, cœlesti quadam vocatione invitatus, quamprimum accommodans animum, hospitium illic rogat, & super proposito suo Regem informat; qui tantum sibi virum abesse graviter ferens, submisso statim in ejus locum Oratore alio, Eusebium revocat, eoque sibi singulariter opus esse multis edocens rationibus & argumentis, nihil tamen efficit ipso constantissime in suo sancto persistente proposito, quem frustra deinceps reducem serenissimus Reipubl. Dux & Princeps proceresque cum Veneti, tum Hispani avertere conati sunt. Cucullum proin summa devotione complexus, & expleto sacri Tyrocinij probationis anno, Monasticen professus, mox Venetias & Hispanias splendoribus mira sanctitatis perculluit, & Magister creatus Novitiorum, charitate, patientia & pia sollicitudine, non minus se ipsis Novitijs, quam illi, etsi tam sancto instituti Magistro, probavit, & exemplo omnibus atque incitamento fuit. ut vel maxime tunc pulcherrimum & felicissimum Cœnobium, juventute renovatum Aquilæ, in pullis tam probatæ generositatis, Venetias adorarent. Animi demissione maximus, nihil tantopere, quam viliora

*Converso ejusdem.*

*Constans in suo proposito.*

*Magister Novitiorum insignis.*

*Viri egregia sanctitas.*

exambijt, & in culina servire inter opatoriâ habuit. Sapius ex obedientia occurrere ad proceres jussus, in ictu oculi paruit, & ut erat sordido procinctus linteo se se admirantibus stitit. Fuit rigidus sui corporis castigator, quod multa inedia, usu cilicij, alijsque afflictionibus carnis strenuè edomuit. Fractus denique laboribus, stomachi graviter debilitati la-

borans morbo, accedente febris, sexdecim totos ante obitum dies, nihil prorsus cibi seu potus admittens in DEI jugiter laudibus permansit, perceptisque demum sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis, præ gaudio in dulces effusus lachrymas præque dulcedine societatis Angelorum exultans, erectis in cœlum manibus moritur 4. Idus Februarij hoc anno, cum paulo ante mortem ipsius, tota spectante & admirante Venetiarum Vrbe, flamma lucidissima è cœlis super Cœnobium in quo decumbebat descendere videretur. Claruit à morte illustrissima miraculorum gloria, & in eodem suo sepultus Cœnobio ab Aldo Manutio sequenti elogio est honoratus.

*Lector, parumper siste; rem miram leges. Hic Eusebii Hispani Monachi corpus situm est.*

*Vir undecumque qui fuit doctissimus, Nostræque vitæ exemplar admirabile. Morbo laborans, sexdecim totos dies Edens, bibens nihil prorsus, & usque suos monens, DEUM adjit. Hoc scires volebam: abi & vale.*

Vixit vir sanctus, annos unum & quinquaginta, cujus vitam Stylo facundo scripsit Augustinus Florentinus.

IESU CHRISTI ANNUS M.D.II.  
Sanctissimi P. N. Benedicti  
MXXII.

Nequid Hispaniæ, nequid Italiæ cedere videretur fertilissimum, tot sanctissimorum per Ecclesiam universam Institutorum & Ordinum, atque innumerabilium utriusque sexus sanctorum Genitrix Galliarum Regnum, ipsum quoque Benedictini inextincti fervoris flammam in sublimè exsuscitat. Gratiolissimo quamprimum splendore, latè omnibus coluluscenscentibus.

Instituta primum hoc anno à Guilielmo Alabatio Abbate S. Petri Casalis Benedicti, Dioceseos Bituricensis, insigni per Gallias Ordinis nostri Reformatione, quæ ante paucos annos optimis cœpta initijs, aspirante cœptis Numine, nunc latius propagata, paulo post felicissimis crevit successibus, adeo ut deinceps, magna sedis Apostolicæ gratulatio-

*Mors ejusdem felicissima.*

*Miraculorum gloria celebr.*

*Epitaphium B. Eusebii Hispani.*

*Notus in Gallia splendor.*

*Casalis Benedicti Congregatio.*